





H. H. H. 410.
R. 78, 81.

II M
30

DE
VTILITATE LITERARVM HVMANIORVM IN AR-
TEM MEDICAM REDVNDANTE
PAVCA PRAEFATVS
AD
SEX OPTIMAE SPEI IVVENVM
ORATIONES
d. III. MAJI A. R. S. MDCCLXXVI.
HORA II. POMERIDIANA
BENEVOLE AVDIENDAS
OMNES MV SARVM PATRONOS AC FAVTORES
OFFICIOSISSIME ATQVE HVMANISSIME
INVITAT
M. IOANNES GODOFREDVS SCHAEFER
RECTOR SCHOLAE NEOSTADIENSIS AD DRESDAM.



DRESDAE,

EX OFFICINA HARPETERIANA.

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
BIBLIOTHEK
LEIPZIG
GRATIS
SACHSEN-ANHALT
LEIPZIG
UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
BIBLIOTHEK
LEIPZIG
UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
BIBLIOTHEK
LEIPZIG



DRESDEN
UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT





Cum de utilitate, ex literis humanioribus in Sacras et Iurisprudentiam redundante, superioribus annis pauca quaedam scripserim, nunc superest, ut eadem commoda, in artem Medicam ex iis profluentia, indicem. Non dubito, fore plerosque, qui iudicent, nihil esse importunius, nihil crudelius illis literarum magistris, qui incolumitatis publicae vigiles ab operosa illa arte, quae nec dies otiosos nec noctes quietas concedit, ad nugatorias et vitae humanae inutiles doctrinas auocare student. Quantum vero hi a recto veritatis tramite aberrerent, quantumque detrimenti afferant reipublicae literariae, tam frigidam alentes opinionem, pro virili declarabo, ostensurus, salutiferam hanc artem doctrinae elegantiori quam facillime superstrui, eosque, qui sine ea Medicinam tractant, similes esse alieno foro iudicantibus.

In arte medendi qui circumforaneis agyrtis sordidisque circulatoribus antecellere cupiant, immensum quantum praesidii et utilitatis ex *linguis Latina et Graeca*, studio suo comparari posse, experientur. Cum enim ex omnibus linguis *Romana*, clarissima illa et sacrarum et profanarum literarum custos ac interpres, inter eruditos maxime adoretur, qua animi sensa, ut omnibus innotescant, exprimunt, quia singulas nationum linguas addiscere, nec vacat scriptoribus, nec lectoribus sufficit, hac dialecto, inter eruditos recepta, plerique artis medicae scriptores sua volumina consignarunt et adhuc consignant. Quod si igitur disciplinae medicae arcanis initiatus nullam idiomatis Latini habet notitiam, tot diuina acerrimi ingenii

monimenta Celsi, Scribonii aliorumque Medicorum, arte sua praestantissimorum non modo legere aut intelligere nequit, verum etiam Systemata, Compendia aliaque scripta, hoc sermone exarata, nullo cum emolumento euoluere potest, quid? quod omnibus illis caret subsidiis, quae ex elegantioris disciplinae scriptoribus peti possunt, et prudentem medicum petiunt; cum e contrario ex locupletissimo illius penu artis suae scientiam copiosius haurire, eiusque instrumento eam deinde commode et perspicue alios, neque vnus gentis, sed totius orbis eruditi homines, docere possit. Quare etiam haec lingua salutis humanae custodibus adeo necessaria visa fuit, vt ipsimet humanitatis causam egerint, librosque de emendanda Latini sermonis structura in lucem ediderint. Neque minus *Graecam linguam* intine callere debent Aesculapii filii. Quod si enim ex Graecia, tanquam ex communi fonte, omnes scientiarum riuuli primum ad Latinos, ab hisce ad nos, profluxerunt, prae ceteris imprimis affirmari potest, disciplinam medicam illi principium sane debere et incrementum. Nonne infinitorum corporis humani membrorum, morborum, vitiorum, feminum, herbarum, radicum, metallorum, medicaminum, potionum, mensurarum et infinitae supellectilis, quibus tabernae et apothecae armantur, nomina ex Graeco idiomate petita sunt? In quibus omnibus nisi Medicus huius pleni et consipati thesauri vocabula mordicus obseruet, quae Graeci significandis iis indiderunt, saepe venena pro remediis temperabit. Haec enim est causa, cur pharmacopolae medicinam materialem eiusque compositionem tam misere contaminarint, vt, cum Latinas voces aptas et adaequatas non inuenirent, graecas vero non intelligerent, ipsi nouas vocabulorum chimaeras excogitarint. Sine igitur ratione victus, siue remediis atque medicamentis, siue manu instrumentisque res agitur, nulla in parte officio linguae graecae carere potest medendi scientia. Ipsi veteres Medici Graecos veros artis Medicinae auctores, et neminem medentis officio satisfacere posse, qui Hippocratem, Galenum, Theophrastum, et Dioscoridem lingua, sibi vernacula, loquentes non intelligeret, iudicarunt.

Vberrimi imprimis ad artem Medicam fructus redundant ex *historia*. Cum enim omnis disciplina medica ex diligenti ac sedula praeceptorum hominum obseruatione paulatim composita ac digesta sit, nemo in ea ad aliquam laudem aut nominis celebritatem peruenire potest, nisi indefesso labore et assiduis vigiliis ex Graecorum, Romanorum, aliarumque gentium annalibus didicerit exigua ac tenuia disciplinae suae principia, tardiora eius incrementa,

et

et plurimas, quae ex doctum discordiis ortae sunt, familias ac factiones, ut, quamuis omnes eandem metam attingere conluerint, validudinis neumpe conleruationem et morborum exlirpationem, verum ad eam obtinendam diuerlis viis ingrelli lunt, videat et inquirat, quis felicius collineauerit et propolitum melius allecutus fuerit. Nemo medici nomine cenleri dignus ell, nili omnes in quocunqne eruditionis genere libros lollicite petreptaue- rit, et ex variis peregrinantium itinerariis aliisque libris, quibus vniuerlita- tis huius miracula et ablruſa naturae arcana poſteritati traduntur, intellexe- rit, quae lunt omnium morborum, etiam quibus humanum genus parciſlime affligi ac vexari ſolet, ingenia, quae eos curandi optima ratio, quae mul- tiplices ſalutarium herbarum ac radicum poteſtates, quae quorumlibet re- mediorum mirandae dotes, quae ſingulorum alimentorum indoles ac natu- ra, quis cibum capiendi ſanis, quis aegrotantibus modus ac ratio ſeruanda. Tantorum itaque rerum peritia cum in medico requiratur, iſque eam ſibi ex diligenti variorum librorum lectione comparare debeat, conlequens erit, ut, qui huic ſtudio operam natuare et in eo cum fructu verſari volunt, non leuem hiſtoriae notiſiam habere debeant.

Eodem modo haud remota videtur a Medici cura *antiquorum rituum et morum inueſtigatio*. Quam non male ei conuenire, ſuadent tot in arte medica principum virorum doctae circa antiquitates cum profanas, tum ſa- cras, vigiliae. Ad haec ſi ipſa medendi ars experimentorum, aut a ſe ipſa aut ab aliis faclorum, memoria tota primitus comprehenſa fuit, (vnde ae- grotos in foro expoſitos, vniuſcuſque, ſimilia paſſi, conſilii vſuros et Herodotus et Strabo referunt) quidni etiamnum ab experimentis, in recon- ditis antiquitatum monumentis, ſubinde ſparſis, fructus aliqui obtinerentur? Et ſi vel hoc vnum obſeruent medici, artis ſuae nobilitatem ac conleſſos ipſi honores non in monumentis modo ciuilibus ſed in annalibus Eccleſiae exflare, ſane horarum quarundam, in iis euoluendis abſolutarum, eos poe- nitere nequaquam debet.

Licet medicinae cultores mutas quaſi et elingues, ut hiſ vtar vocabulis, per omnem aetatem artes exercere videantur, quorum mentibus veriliſimum illud ex Apollinis tripodae reſponſum ſemper obuertiatur, non verbis, ſed manu, non ſermone ſed opere morbos ſanari; tamen ſatis ſuperque aſſeri poteſt, et *eloquentiam* arti medicae praefidium aſſerre et emolumentum. Sine ea enim Medicus haud idoneus erit, ut artis ſuae ſtudia deinceps orbi erudito ſermone proprio et facili explicare, ut res, infinito labore et legendi

meditandique assiduitate a se inuestigatas, tandemque inuentas, nullo continuæ disputationis contextu vestire, aut perspicua orationis luce illustrare queat. Quod si vero ea æquis et cum Tullio vel Nepote pari elegantia fluentibus verbis exprimit, altius animis auditorum et lectorum inhaerebunt, quæ tanta suauitate proponuntur; sicut palato gratiores cibi sunt, quos et perita coqui manus et dulcissima condimenta ex arte conuenient. Quo eloquentiæ lumine illustrati, quam plurimi Medici veterum, Ciceronis imprimis atque Quintiliani, monumenta diurna nocturnaue manu versauerunt.

Cum inter omnia humanitatis studia nihil tam præclarum ac laudabile existat, quod cum *diuina poësi* satis unquam magna cum laude conferri ac componi possit, et cum eius vis tanta sit ac generosus impetus, quo coelestes animæ, quasi diuino amore incalentes, sui penitus oblitos homines abripiant, Medici illius adeo percupidi fuerunt, ut ad eam inflammato studio raperentur. Eo fortius duce Apolline, quem et Medicinæ et Poëseos parentem et conditorem statuerat antiquitas, tum militaturi esse videbantur, cum excellenti ista arte forent instructi. Quem fugit fama Petri Lotichii Secundi, Medicinæ in Academia Heidelbergensi Professoris experientissimi, qui Germaniæ poëtarum Phoenix omnibus exteris, si non superior, æqualis certe censetur. Scaligeri, Barlaei, Euricii Cordi, aliorumque Hygeæ sacerdotum nomina silentio præteribo, quos elegantissimi ingenii poëtas extitisse, ipsorum, quæ reliquerunt posteritati, declarant carmina. Legi omnino meretur Thomæ Bartholini de Medicis Poëtis Dissertatio, qua hic grauius humanitatis studiorum vindex solidissimis comprobauit argumentis, Poëseos studium non alios magis, quam Medicos, afficere, siue vtile quis expenderit, siue iucundum; et ne inutiles vel damnosus opere occupatos deflexerint, causam eorum præclare egit, Medicis poëtas vel legendi vel imitandi studio commendans.

Quibus extra omnem dubitationis aleam positis, arctissimo foederis cuiusdam et societatis vinculo medendi facultatem cum literis coniunctam esse humanioribus, quis erit, qui diffiteatur? Quæ si forte negligantur, nullum maius reipublicæ malum aut luctuosius communi saluti periculum accidere potest. Hinc enim fit, ut artis salutaris cultores, his opibus et subsidiis destituti, ad illius usum atque exercitationem temere irrumpant, quæ, cum per se sit periculosa, nisi recte adhibeatur, euadit longe omnium perniciosissima. Sed ut ea, quæ artibus, ad humanitatem pertinentibus, vindicauimus,

mus,

mus, probemus, ad istam temporum faciem reuertamur, qua studiorum maiestas mendici veluti cuiusdam lacero panno fuit obuelata. Medendi studium, quod ex usu rerum et multiplici experientia ortum, humaniorum literarum praesidio creuerat, euanescentibus illis, quibus auctum erat, artibus protinus degenerauit: et cum nihil postea sani coloris proferre valeret, scientia haec, quae pro vitae et salutis nostrae conseruatione dies noctesque excubat, tot spinis sentibusque obsessa est, vt ad anilia quaedam et superflua medendi praecepta redacta fuerit. Ista barbaries omnem Christianissimum ita inundauerat, vt ad Arabes et Mauros in Hispaniam proficisci cogentur, qui inter Christianos animum arte medica imbuere vellent, imo vt huius artis periti a plerisque nostrorum pro magis haberentur et iactarentur. Postquam vero literae ex spississimis inconditae barbariei tenebris caput exeruerant, Medicina ab exilio quasi diuturnissimo reuocata est, et orienti earum lumine illius antistites, qui huc vsque ex Arabicis et quibus non ex auctorum faecibus sapiebant, ad Hippocratis, Galeni, eorumque, qui olim in arte medendi laudem meruerunt, scripta iterum animum adiecerunt, et vtilissimum hoc generi humano inuentum porro exornarunt ac perfecerunt. Sic haec ars nobilissima, a Deo conseruationi validudinis et salutis vitae hominum destinata, conatibus paene Herculeis Medicorum dexterrimorum, et ad antiquitatis et verae sapientiae genium formatorum, radiis veluti sidereis circumfusa, resplenduit. Tanto maior cautio erit praestantissimae sanandorum corporum arti inuigilantibus, ne, in inuidiam erga humanioris literaturae apparatus friuolis ratiunculis adducti, ipsis Musis earumque cultoribus bellum internecinum indicant, sed potius tantorum, in omni literarum genere longe versatissimorum, Medicorum vestigia prementes, ingenti earum literarum flumine pectus inundent, ex quibus tanta praesidia tamque multiplex foenus sibi promittere possunt.

Sed quorsum isthaec? vt intelligant iuuenes, literas humaniores esse quasi alas laudatissimas, quibus aliae disciplinae se prouehant ceterisque commendunt, earumque neglectum grauioribus doctrinis ruinam minitari, et inter impedimenta sapientiae non vltimum locum tenere. Quae secum animo volutarunt duo boni nominis et omnis adolescentes, qui huc vsque omnes vires eo intenderunt, vt, elegantioris eruditionis disciplinis largiter irrigati, ei studiorum generi, ad quod quemque rerum suarum necessitas trahit, idoneos se redderent. Antequam vero officinam, in qua tirocinii rudimenta posuerunt, relinquunt, specimen diligentiae in publico eorum

con-

OK Tu 30

VO 18

confessu, quos schola nostra exoptatos literarum elegantiorum factores religiose veneratur, edere decreverunt. Hinc additis quatuor, fidei ac disciplinae nostrae commissis, diligentiae nobis ac pietatis laude commendatissimis; sequenti ordine prodibunt:

I. CAROLVS GOTTLIEB KAESSNER, *Dresdensis*, de ingeniorum defectu ad literarum studia habendo, idiomate latino verba faciet.

II. IOANNES CHRISTOPHORVS ZUCKER, *Dresdensis*, literarum laudes carmine elegiaco decantabit.

III. IOANNES GOTTLIEB STRIEGLER, *Deutschenbora-Misnicus*, de illiratorum infelicitate sermone Romano dicet.

IV. CHRISTIANVS FRIDERICVS GYLIELMVS KRIEGL, *Dresdensis*, necessitatem, linguam patriam excolendi, vernacula lingua commendabit.

V. LEBRECHT SAMVEL BENIAMIN VOGEL, *Cadizensis*, de rerum creaturarum praesentia carmen epicum recitabit.

VI. IOANNES GOTTHELF LAVRO, *Dresdensis*, filo Latino disquiret, num exuditorum felicitati ea quoque studia conducant, quae ad solam delectationem pertinere videntur.

Quibus orationibus recitatis ordine primus suo et tertii nomine officio pietatis publice satisfaciet, et vernaculo sermone ligato vsurus Patronis scholaeque vltimum Vale acclamabit, cui ordine secundus eodem dicendi genere respondet, abeuntes piis precibus votisque profecutus.

Quod institutum vt applausu beneuole ornent, OMNES OPTIMARVM LITERARVM STATORES, ATQVE VINDICES, INPRIMIS MAGNIFICVM SVMMEQVE REVERENDVM EPHORVM, SPLENDIDISSIMVM AMPLISSIMVMQVE SENATVM, PLVRIMVM REVERENDOS VERBI DIVINI MINISTROS, CLARISSIMOSQVE SCHOLARVM MAGISTROS, omnes ac singulos, dignitate et meritis conspicuos, quanta possum, animi religione rogo oroque, vt cras hora II pomeridiana hos peroratuos praesentia SVA longe honoratissima et audiendi facilitate dignari velint. Quod si euenerit, habebunt, de quo sibi gratulentur, et schola nostra hoc voluntatis propensae beneficium omni obseruancia venerabitur. Discedentibus vero ex animo comprecor, vt gloriae hederam, literarum humaniorum studiis praefixam, faustis auspiciis aliquando decerpant, talesque euadant, quales fore, haud vano augurio mihi polliceor.

Scrib. in Schola Neostadiensis ad Dresdam a. d. VI. Non. Maii A. O. R. MDCCLXXVI.

Pon Tit 30
1. QV

ULB Halle

3

006 828 671





II u
30

DE
ERARVM HVMANIORVM IN AR-
EDICAM REDVNDANTE

AVCA PRAEFATVS
AD

MAE SPEI IUVENVVM
T I O N E S

I A. R. S. MDCCLXXVI.

II. POMERIDIANA
BENEVOLE AVDIENDAS

M PATRONOS AC FAVTORES

SISSIME ATQVE HVMANISSIME
INVITAT

ES GODOFREDVS SCHAEFER
BOLAE NEOSTADIENSIS AD DRESDAM.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

DRESDAE,
FFICINA HARPETERIANA.

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

B.I.G.

